Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1235
Quelle:
Copyright:

dicatorum minimus nacione theuthonicus ſedens quadam vice in menſa abſtractus reuoluens in corde meo hinc inde ſtatum mundi nunc currentis. Et ex abrupto mihi ludus cartularum et quomodo ad ſtatum mundi poſſet aptari cepi ymaginari &c. De tractatu ſuo vir feſtivus: *Si continget aliquem paſſum non omnibus eſſe intelligibilem ſed aliquibus obſcurum et difficilem, tales exeant in buckhem* (Beuggen hodie ſ. Bücken) *et iterum in Rinuelden reuertantur et procedant ulterius hunc tractatum legendo — Dictus enim paſſus eſt periculoſus nauigio* (Rhenum) *tranſeuntibus. Ideo plures in hoc paſſo exeunt et in alio termino reuertuntur.* Habes hic Patriam, Conditionem, Aevum Autoris, qui deinceps Opus ſuum in *Partes* III. dividit. Intendit enim *1°. ludum cartularum in ſe deſcribere quoad materiam et modum ludendi. 2°. ipſum ludum ad mores trahere ſeu nobilibus dare normam viuendi. 3°. ipſos populares inſtruere ſeu eos informare de modo uirtuoſe operandi.* Atque haec *Parte* I. *Capitibus* 6. altera 5. tertia 12. exequitur, relictis in *Codice* noſtro ſpatiis figurarum, quibus textus illuſtrari debuiſſet. Ultima Operis ſunt: *Et hoc de quarto membro ſufficiat et per conſequens de toto tractatu.* Dein rubro: *Explicit ludus cartularum* 1472. Ineditum cenſeo et probe diſtinguendum ab aliis duobus Tractatibus, quos in ſimili materia alii duo e Praedicatorum familia Viri edidere. Primus eſt *Jacobus de Ceſſolis*, *Caſſolis*, unde corruptum *Teſſalis* et plane *Theſſalonia*, Gallus, cujus Opus *de moribus hominum et de officiis nobilium ſuper ludo Scaccorum* ſub finem Sec. XIII. aut initium ſequentis, et quidem, ut ait *Breitkopfius* in Specim. vernac. *de Orig. Chartar. luſoriar. Lipſiae.* 1784. p. 115. 4. circa an. 1337. ſcriptum, in varias linguas verſum, et mox ſub Typographiae exordia prelo ſubjectum habemus, quemadmodum *Breitkopfius l. cit. Quetifus* in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 471. et alii teſtantur. Alter eſt M. quidam *Ingoldus* ejusd. Ordinis, qui lingua teutonica elaboravit *Das guldin ſpil* nempe *Luſum aureum*, in quo, ut ait titulus, ſeptem Peccata Capitalia totidem luſuum generibus illuſtrantur. Impreſſit *Luſum* hunc *Güntherus Zeiner Auguſtae* 1472. *c. figg. f.* videoque ex Praef. *Ingoldum* decerpſiſſe quaedam ex Scacchiludio *(ſchaffczagel ſpil) Jacobi de teſſalis*, ut Socium ſuum appellat; ignoraſſe vero *Johannis* noſtri, quamvis conterranei ſui, Tractatum. Ex quo videri poſſet, illum ante *Johannem* ſcripſiſſe. Sed, praeterea, quod neque *Johannes Ingoldi* meminerit, locus ille, quo *Ingoldus* de foliorum luſu differit, ſatis perſuadet, illum poſteriorem fuiſſe. Ait enim de eo: *Als ich geleſen han, ſo iſt es kumen in teutſch land des erſten in dem iar da man zalt von criſt geburt, tauſent, drühundert iar.* Vides, ut ſe ad aliorum referat autoritatem velut teſtis aeta-

te